

Inter autem regulares ratio habetur simul originis et foundationis, non vero excellentiæ respectivæ, seu perfectionis regularum, ne lites ac periculosæ quæstiones excitentur, quæ pacem ordinum religiosorum turbare, et scandalum populo generare possent. Hinc est quod Romæ, ubi ab exordio plerique ordines habuere monasteria seu domos, incedunt ratione originis, salvis quibusdam privilegiis auctoritate pontificia concessis : scilicet, antiqui ordines monachales primi veniunt post canonicos et clericos sæculares; subsequuntur deinde ordines mendicantes; postea clerici regulares, ratione originis singulorum. Inter mendicantes locum honorabiliorem occupant fratres Prædicatores, quem ritum nonnulli SS. Pontifices, pro suo affectu in familiam Dominicanam, servandum indixerunt in quibusdam regionibus in quibus motæ fuerant controversiæ. Ita statuit Clemens VIII pro regnis Aragoniæ, Valentæ et Cataloniæ. Const. *Inter cætera*, an. 1592.

Exceptis peculiaribus privilegiis, de quibus nihil in præsentī dicendum, lex generalis est ut habeatur ratio possessionis et consuetudinis. Declaratum fuit a Sancta Congregatione Rituum, ac decreto Gregorii XIII, an. 1582, sancitum, ut inter ordines mendicantes, « qui sunt in possessione præcedentiæ, præcedant; « et ubi non constat de possessione, præcedant qui antiquiores « sunt in loco controversiæ. » Id est : Si non constet de possessione, et contigerit nova monasteria aut domos alicujus ordinis fundari in loco in quo alterius ordinis prius monasteria erecta sunt, Ordo qui prius monasterium seu domum in eodem loco habuit, præcedit. Est prima et generalior regula : altera e consuetudine ducitur. Sicubi inductum sit præscriptioneque firmatum, ut ratio habeatur originis religionis, non vero foundationis monasterii, vel etiam ut talis ordo, qui nec origine nec foundatione domus antiquior est, cæteris præcedat, consuetudo servanda est.

Statutas regulas generales ad omnes æque Mendicantes, ne exceptis quidem fratribus Prædicatoribus, et ad ipsos ordines

monachales extendi arbitrantur canonistæ gravis ponderis; et probant adductis declarationibus S. Congregationis, Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, quæ omnes quæstiones motas de præcedentiâ, resolvere consuevit ad præscriptum Gregorii XIII¹.

ARTICULUS II. — DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

438. 1^o *Quid sit status religiosus?*

Est status fidelium qui modum vitæ communis, ab Ecclesia approbatum, emissis votis obedientiæ, paupertatis et castitatis, profitentur.

Dicitur 1^o *Status...* quod per se designat stabilem conditionem vitæ, non actus transitorios, seu temporarias sodalitates, quibus fideles aliquod bonum spirituale prosequantur. Necessarium quidem non est ad vitam religiosam ut fideles lege prorsus immobili in ea teneantur, at requiritur saltem aliqua ratio stabilitatis, et præsertim ut qui illam professi sunt, non valeant pro arbitrio propositum mutare, statumque deserere.

2^o *Qui modum vitæ communis...* in quo religiosi differunt a cæteris fidelibus qui vitam perfectam, votis emissis, sectantur remanendo in sæculo et ab iis etiam qui studio perfectionis acquirendæ degunt in eremo, ut Deo vivant more anachoretarum. « Ex natura sua, ait Schmalzgrueber, status religiosus « non requirit necessario vitam communem. Si enim illam « requireret, vel ratione status ut sic, vel ratione perfectionis. « Non ratione status ut sic, quia hic solum dicit immobili- « tatem; non ratione perfectionis, quia ad hanc tendere etiam « vitam solitariam degens potest... Sufficit ergo, per se lo- « quendo, ad vitam religiosam, si is qui eam profitetur... obser- « vet consilia evangelica, ut horum observantiam firmet voto, « et quidem perpetuo, et hæc vota tanquam substantialia reli-

¹ Cf. Pignatelli, *Consultationes canonice*, tom. I, *Consult.* cxxxviii.

« gionis, Dei nomine, ab aliquo ad hoc potestatem habente, « acceptentur. » (In tit. DE REGULARIBUS, n° 20.) At simul notat idem canonista, statum religiosum, spectato jure ecclesiastico hodierno, non alibi consistere posse quam in vita communi; quandoquidem requiritur, jure a pluribus sæculis vigente, approbatio Ecclesiæ, et Ecclesia non approbat nisi statum cœnobiticum, seu in communi viventium sub uno prælato, et sub una regula ad perfectionem tendentium. Igitur, ut quis sit religiosus, necesse est illum in communitatem cooptari, aut saltem habere cum aliis eidem instituto consociatis, communem prælatum et regulam, quemadmodum servatur in congregationibus Eremitarum.

3^o *Approbatum ab Ecclesia...*, quod duo importat: judicium de honestate et utilitate talis ordinis ad conducendum fideles per viam perfectionis, et potestatem datam superioribus recipiendi nomine Christi et Ecclesiæ, vota illorum qui hoc vitæ genus volunt profiteri, eosque in statu religioso constituendi.

Approbationem requiri jure ecclesiastico ad statum religiosum dicitur in solutione quæstionis subsequentis: an vero necessaria sit, natura rerum, abstrahendo proinde a jure positivo, non convenit inter doctores. Maxime quidem interest ordinis publici in omni societate, præsertim in Ecclesia, ut nulla instituta publica formentur, nisi assentiente auctoritate competenti; sed approbatio non videtur necessaria, si sola habeatur ratio essentialis status religiosi. Enimvero, si ex natura rerum requireretur approbatio Ecclesiæ, vel quia fideles non sufficienter certi esse possunt de honestate ac aptitudine talis in specie modi vivendi ad acquirendum perfectionem vitæ christianæ, vel quia vita religiosa non habet stabilitatem, quamdiu vota non acceptantur, nomine Ecclesiæ, per ministrum publicum, ab Ecclesia deputatum. Non 1^{um}; siquidem ut secure quis procedat in hoc negotio, sufficit ut habeat moralem certitudinem, modum vitæ quem eligit esse Deo gratum; quis autem

dixerit hanc certitudinem haberi non posse, donec præcesserit approbatio Ecclesiæ universalis aut S. Pontificis? Adsunt pastores immediati qui suo gregi invigilant, et abusus, si qui irrepserint inter limites suæ diœcesis, repellent. Non 2^{um}; nam vota Deo facta, modo non irritentur ab Ecclesia, valida sunt et obligant in conscientia; atque idcirco necessariam stabilitatem statui religioso procurant. Nihil obstat quominus fidelis voveat castitatem, paupertatem et obedientiam, vel promittendo soli Deo se obsequium præstiturum, vel promittendo simul homini idem obsequium, in iis quæ ad bonum animæ et honorem Dei pertinent. Utroque modo vita religiosa stabiliri potest, quamvis posterior sit ad rem accommodatior. (Suarez, *de Religione*, lib. II, cap. xv, n° 7.)

4^o *Emissis votis paupertatis, castitatis et obedientiæ.* Tria vota, sive explicite, sive implicite fiant, sunt necessaria statui religioso, adeo ut nemo censeatur vere religiosus quin ea in certo quodam gradu profiteatur. Re quidem vera, status religiosus tendit ad perfectionem vitæ christianæ et aliquam stabilitatem habere debet: porro, ex una parte, perfectio vitæ christianæ supponit praxim consiliorum evangelicorum paupertatis, castitatis et obedientiæ, quibus coercetur triplex concupiscentia carnis oculorum et superbiæ; ex alia autem parte, assicuratur stabilitas voto eadem consilia observandi; ergo, etc.

His summarie dictis, explicationis causa datæ definitionis, reliquum est ut quæ ad vota et ad approbationem Ecclesiæ referuntur, paulo fusius exponamus.

459. — II^o *Quotuplicis speciei sint vota status religiosi, et in quo solemnia a votis simplicibus differant?*

Tria vota, nempe paupertatis, castitatis et obedientiæ, communi sensu reputantur substantialia status religiosi; et merito quidem, cum tanti referant ad perfectionem acquirendam.

Hæc vota esse possunt vel solemnia, vel simplicia, pro diversa conditione congregationum Regularium in quibus emittuntur:

in quo autem versetur discrimen votorum simplicium a votis solemnibus, non consentiunt doctores. Hæc magis fundata videntur :

1° Distinctio votorum in solemnia et simplicia, non oritur ab apparatu vel cæremoniis, aut aliquo ritu benedictionis seu consecrationis, sed ab effectu morali quem producit votum solemne, et qui non tribuitur voto simplici. Ratio est quod existant religiones in quibus certissime emittuntur vota solemnia, quin ullus adhibeatur ritus sollemnis, ullave consecratio seu benedictio, et vicissim in nonnullis congregationibus vota simplicia emittuntur cum magno apparatu cæremoniarum.

2° Effectus ille moralis non procedit a sola voluntate voventis, sed præcipue a voluntate Ecclesiæ votum acceptantis. Prob. auctoritate et ratione. 1° Legimus in cap. *Quod votum*, DE VOTO, in VI° : « Quod votum dici debeat solemne... nos consulere voluisti : — Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa... præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum dici debere solemne... quod solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. » Bonifacius VIII, auctor hujus epistolæ decretalis, expressis verbis indicat, non natura rerum, nec voluntate voventium, sed sola constitutione Ecclesiæ inniti solemnitatem voti, quatenus a votis communibus differt. 2° Si effectus moralis, quo votum solemne a simplici differt, procederet a sola voluntate voventium, dicendum esset ab eorundem voluntate pendere quod sua vota sint solemnia aut simplicia, et quod ipsi inhabiles fiant ad certos actus de quibus modo dicturi sumus : atqui hoc utrumque est contra sensum communem canonistarum et contra disciplinam ecclesiasticam; ergo effectus ille potissimum procedit ab auctoritate et voluntate Ecclesiæ.

3° Effectus quem Ecclesia voto sollemni religionis tribuit, in eo est ut religiosus addicatur irrevocabiliter religioni, et

reddatur incapax faciendi valide quosdam actus votis repugnantes. Solemnitas proinde in duobus consistit : unum est quod religiosus se in perpetuum tradat et obliget religioni, quæ vicissim erga suum religiosum obligatur, adeo ut vinculum ex utraque parte sit indissolubile; alterum est quod habeat vim inhabilitandi personam voventem ad effectus morales supra declaratos, quæ mox fusius explicabuntur. Hæc duo sunt æque necessaria, nec unum sine altero ad solemnitatem voti sufficit. Assertum duplici probatione fundatur, quam paucis verbis complectimur. Fundatur 1° doctrina communissime recepta apud canonistas et theologos, quam testatur Suarez, *de Statu religioso*, lib. II, cap. V, VI, VII, VIII. « Communis apud RR. doctrina, ait Schmalzgrueber, solemnitatem voti refundit in dispositionem Ecclesiæ ita acceptantis illud, ut seclusa dispensatione apostolica sit perpetuum, et voventem inhabilem reddat ad actus voto repugnantes. » (In tit. DE VOTO, n° 8, lib. III Decret.) 2° Comparatione adducta inter ordines religiosos : effectus in quo diximus reponendam rationem solemnitatis, reperitur in omnibus, et quidem solis religionibus quæ solemnes communiter habentur; quod est certum argumentum veritatis nostræ assertionis.

440. — III° *Quem effectum producant vota solemnia castitatis, paupertatis, et obedientiæ?*

Votum solemne castitatis reddit religiosum inhabilem ad contrahendum matrimonium, et matrimonium contractum, non tamen adhuc consummatum, dissolvit. Cap. *Quod votum*, supra relatam. Probationem utriusque, de quo nullum dubium est inter doctores, et aliunde definitum fuit a concilio Tridentino, remittimus ad tract. *de Matrimonio*. Votum simplex impedit solummodo ne quis matrimonium licite contrahat, nisi Sancta Sedes aliter statuerit, quemadmodum statuit pro religiosis scholasticis et coadjutoribus societatis Jesu, qui, licet vota simplicia emiserint, sunt tamen inhabiles ad valide contrahendum matrimonium.

441. — Votum solemne paupertatis voventem reddit, jure communi, incapacem domini acquirendi, dum votum simplex obstat solummodo ne licite acquirat, possideat, aliosve actus proprietatis, suo nutu, faciat.

I. Theologi distinguunt quadruplicem gradum quo christifideles possunt vovere paupertatem. 1^{us} excludit tantummodo usum rerum superfluarum; 2^{us} excludit usum juris, seu usum independentem: si quis, v. g., voto spondeat se non usurum suis bonis, nisi cum dependentia a superiore; 3^{us} excludit omne dominium proprium cujusvis rei, et usum independentem rerum, etiam necessariarum; 4^{us} demum, cæteris perfectior, excludit capacitatem domini adeo ut qui in eo gradu vovit, non possit, ne valide quidem, rei cujusvis temporalis dominium adipisci.

Canouistæ omnes consentiunt « non esse de essentia paupertatis evangelicæ, ait Schmalzgrueber, ut dominium rerum « temporalium privet; sed tantum ut privet potestate utendi, « ita ut, absque superioris consensu, non possit ulla re uti, « vel de ulla re disponere. » (DE STATU MONACHORUM, n^o 4.) Re quidem vera, votum paupertatis necessarium æstimatur ad statum religiosum ut removeat impedimenta quæ ex amore divitiarum, atque rerum temporalium sollicitudine, oriuntur; atqui si vel in primo, et multo magis si in secundo gradu voveatur paupertas, hæc impedimenta sufficienter removentur; qui enim, ex voto religionis, superfluis abrenuntiavit, et ea ipsa quibus in usu communi indiget, cum dependentia a nutu superioris assumit et in suas impendit utilitates, eo ipso moderatur affectum naturalem divitiarum, et sollicitudinem rerum temporalium.

Præterea, quod notatu dignissimum, per plura sæcula floruit status religiosus, tam in Oriente quam in Occidente, quin religiosi omne dominium repudiarent. Habuerunt utique plures ex illis quasdam possessiones, potuerunt testamenta condere, parentum juribus hæreditate succedere. Ergo, abstrahendo a jure

canonico, non requiritur ad substantiam status religiosi abdicatio domini, sed sufficit ut quis superfluis renuntiet, et, ad summum, ut abdicet usum independentem. Jus autem canonicum, Ecclesiarum consuetudine pluribus abhinc sæculis firmatum, statuit ut in religionibus solemnibus paupertas voveatur in quarto gradu. « Hoc confirmant universalis Ecclesiæ sensus « et traditio, ait Suarez... Consequenter hoc votum solemne « personam reddit inhabilem ad quamcumque hæreditatem « adeundum; et subinde simul ac tale votum fit, sua vi et ipso « facto excludit dominium eorum honorum quæ antea possi- « debantur. » (Lib. II, cap. XII, n^o 3-7.)

Prima monumenta hujus disciplinæ Gratianus collegit, ex codice Justiniano, in CAUSA XIX, quæst. III, cap. 9 et 10. Ad illas constitutiones imperiales alludit Gregorius Magnus, rescribendo ad Januarium Episcopum Calaritanum: « Quia « ingredientibus monasterium, convertendi gratia, ulterius « nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem monasterii « juris fiant, aperta legis definitione decretum est. » (Ibid., cap. 7.) Sanctiones legum ea de re non statim ubique obtinuerunt, quod ex certis historiarum monumentis constat, sed paulatim, labentibus sæculis, per omnes Ecclesias prævaluerunt. Concilium Oxoniense IV, anno 1222 celebratum, supponit hanc disciplinam sua ætate viguisse absque ulla ambiguitate et controversia: « Quoniam non licet viris religiosi « aliquid proprium possidere, qui se et sua pariter in religionis « ingressu Domino dedicaverunt; præsentis auctoritate defini- « mus, ut nulla persona in regulari ordine constituta condere « testamenta præsumat, cum nihil habeat suum temporale, « quod transferre valeat in dominium alienorum¹. » Certum est igitur ex citatis decretis, ex Ecclesiæ universalis consuetudine, et communi canonistarum sententia, votum solemne

¹ Labbe, *Coll. conciliorum*, tom. XI; cap. XLVII concilii Oxoniensis, col. 286; — cap. *Quia ingredientibus*, 2, DE TESTAMENTIS, lib. III Decretalium.

reddere voventem inhabilem, et quidem irrevocabiliter, spectata lege ordinaria, ad acquirenda vel retinenda dominia, non secus ac ad matrimonium contrahendum.

442. — II. Quo jure inducta sit incapacitas religiosorum, an jure principum christianorum qui super hoc leges tulerunt, an jure pontificum qui constitutiones imperiales probatas habuerunt, et in disciplinam canonicam transtulerunt, non expendant ex professo canonistæ; supponunt tamen id potissimum adscribi auctoritati pontificum. « Si quis dubitet, ait Suarez, « quomodo potuerint leges civiles aliquid de re quæ mere spiritalis et ecclesiastica est, disponere; respondemus quæstionem esse generalem quæ de omnibus fere legibus, sub prædictis articulis contentis, interrogari potest. Multi ergo credunt Justinianum ex consensu Pontificum illas condidisse, « vel certe eas quæ in bonum et favorem Ecclesiæ cedebant, « expresso vel tacito consensu Pontificum fuisse admissas. » (Lib. VIII, cap. VII, n° 28.)

Utraque potestas, pontificalis et regalis, suas partes habuit in legislatione de incapacitate religiosorum, atque de ea statuit sub vario respectu, alia ad ordinem spiritualem, altera ad ordinem temporalem.

1° In ordine spirituali Ecclesia ab exordio optavit ut religiosi perfectiori modo excolerent paupertatem, sicut alias virtutes christianas, multasque leges in eo sensu sanxit, quas infra exponemus. Numquam vero definivit, decreto dogmatico, sibi jure proprio competere facultatem inducendi omnimodam incapacitatem monachorum ad acquirendum, possidendum, et alienandum dominium, rerum temporalium. Quæstio esset difficilis, si sola ratione discuteretur, siquidem ibi agitur de re ordinis temporalis, quæ non nisi indirecte refertur ad finem supernaturalem, et ex omnium consensu, omnimoda dominii incapacitas, seu paupertas in summo gradu, non est necessaria ad statum religiosum, nec de facto extitit in prioribus sæculis, quamvis ea ætate adessent plures religiosi eximie virtutis.

Certum quidem est Ecclesiam sub eadem disciplina continere omnes professos ordinum religiosorum, nulla adhibita distinctione gentis unde sunt oriundi, quamvis probe noverit plures gentes, in ditionibus paganorum, hæreticorum, imo et catholicorum, non admittere incapacitatem civilem voto paupertatis annexam ex jure decretalium; unde canonistæ concludunt religiosos incapaces esse dominii vi atque effectum legis canonicæ, neutiquam vi legum civilium. Sed responderi posset Ecclesiam, dum voluit solemnitatem votorum et professionis religiosæ manere independentem a diversis gentium variarum legistionibus, de quo omnes catholici consentire debent, non definivisse votum paupertatis eosdem omnes effectus temporales nunc ubique operari, quos olim producebat sub imperio juris romani et gentium catholicarum. Nec forte occasio se dedit eo de puncto doctrinam definiendi, cum nulla urgeret necessitas; religiosi enim plerumque, aut nihil proprium de facto habuerunt, aut de suis bonis, cum assensu superiorum, disposerunt: præterea virtutem paupertatis ubique gentium non desierunt excolere, nihil in sui commodum, propria voluntate, nec acquirentes, nec possidentes, nec alienantes, quod præcipuum est ad servandam disciplinam regularem.

Gravissimum tamen argumentum suppeditant in gratiam opinionis canonistarum, consensus tot doctorum, variæ decisiones S. Congregationis circa solemnitatem votorum, et ratio convenientiæ. Tametsi enim paupertas in summo gradu non sit per se absolute necessaria ad statum religiosum, valde tamen expedit ut Ecclesia possit inhabiles reddere religiosos ad acquirenda et possidenda dominia, ad excolendam perfectius paupertatem evangelicam et radicitus evellendam e moribus religiosorum cupiditatem rerum temporalium.

2° Potestas sæcularis sub imperio Romano obsecundavit votis Ecclesiæ in statuenda disciplina de incapacitate religiosorum. Quod ita agere valuerit, non ambigendum putamus; si quidem agebatur de re temporali, et suam potestatem exerebat

in bonum duplicis societatis, religiosæ et civilis. Inducendo incapacitatem religiosorum ad acquirendum dominia, non intendit solummodo medium adipiscendi perfectionem paupertatis religiosæ, res sub eo respectu est ordinis spiritualis; sed providendum simul duxit, tum utilitati temporali monasteriorum, ampliando novis incrementis institutum monasticum, quod reipublicæ multiplici ratione maxime profuturum censebatur; tum necessitatibus, seu commodis temporalibus familiæ, illi assecurando, ubi necessarium judicabatur, partem quamdam bonorum religiosi. Nullius certe jura violabat princeps; non quidem jura publica et regulas civiles reipublicæ, cum tali rerum ordini faverent mores publici, et multiplicatio prosperitasque monasteriorum cunctis civibus, pauperibus et divitibus prodesse communiter reputarentur; non jura individuorum religionem profitentium, qui monasteria sponte sua adibant, cum prævia cognitione legis, et cum plena libertate, si voluissent, alium modum vitæ religiosæ amplectendi, qui sua jura civilia servasset.

Duplicem igitur scopum mox indicatum attingere voluit princeps, et idcirco sanxit ut bona quæ viri religiosi habebant tempore professionis, aut postea ipsis obventura forent, jure competere monasterio, servata tamen parte legitima filiorum. Hinc axioma: *quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.*

Monasterium scilicet cui vovens se suaque jura tradebat, acquirebat immediate bona quæ, titulo hæreditatis, aliave ratione, ad religiosum devolvebantur. Hæc constitutio in jus commune transiit, ut testantur cap. *Quia ingredientibus*, 2, de TESTAMENTIS, et decretum allatum concilii Oxoniensis.

Decursu temporum potestas civilis, in Gallia et nonnullis cæteris regionibus, aliam rerum ordinationem induxit quæ minus favit utilitati monasteriorum. Leges condidit quibus religiosi incapaces efficiebantur testandi et succedendi, eodem fere modo ac civiliter mortui: bona temporalia de quibus ante

professionem non disposuerant, ipso jure, ac si mortui fuissent *ab intestato*, devolvebantur ad ipsorum parentes, servato ordine communi successionum. Sic, exempli causa, edictum regium Ludovici XIII, an. 1629, art. ix: « Toutes personnes « qui, après l'an de profession, auront pris l'habit de religieux « profès, de quelque ordre que ce soit... seront censées et « réputées profès, et, partant, incapables de disposer de leurs « biens, succéder à leurs parents, ni recevoir aucune donation. » Quoniam tempore hæc nova legislatio incæperit in Galliis, et in nonnullis regionibus, ignoramus; sed probabilissimum est non viginisse ante sæculum XVI. Ex tunc auctoritas civilis monasteriorum bona imminuere intendit; quod satis indicant ipsamet⁴ edicta regia; nemo aliunde non videt quam facillime, sub specie juris familiarum et ærarii publici, magistratus his ordinationibus abuti potuerint in perniciem status religiosi.

Incapacitas civilis non amplius admittitur in societatibus modernis. Permanent vero sanctiones canonicæ, cum temperamenti quibus Ecclesia utendum judicat pro ratione temporum.

445. — Votum solemne obedientiæ efficit ut persona vovens suam voluntatem ita abdicet in futurum, ut non possit valide se obligare erga Deum, vel homines, nisi ad sui prælati arbitrium, qui consequenter valet promissiones et vota irritare. Dicitur in cap. *Si religiosus*, 27, DE ELECTIONE, in VI^o: « Ar- « bitrium (religiosus) non ex sua, cum velle et nolle non habeat, « sed ex illius quem vice Dei super caput suum posuit voluntate « dependet. »

⁴ Edictum an. 1749 dicebat: « Plusieurs testateurs préfèrent l'intérêt « (des établissements religieux) à celui de leurs héritiers légitimes. Indé- « pendamment de ces motifs... les biens immeubles qui passent entre les « mains (des gens de *mainmorte*) cessent pour toujours d'être dans le « commerce, en sorte qu'une très-grande partie des fonds de notre « royaume se trouve actuellement possédée par ceux dont les biens, ne « pouvant être aliénés, s'augmentent au contraire continuellement par de « nouvelles acquisitions. » Nihil certe timendum hujusmodi in statu præ- « senti societatis.

Canonistæ, ut effectum hujus voti, atque illius discrimen a voto simplici explicent, dicunt dari prælato regulari potestatem dominativam, perpetuam et immutabilem, in voluntatem religiosi, adeo ut impotens fiat ad se obligandum firmiter, nisi dependenter a voluntate superioris. « Simplex obedientiæ « promissio, ait Suarez, non inducit tantam subjectionem et « dependentiam in vovente, nec dat tantam potentiam ei cui « promittitur; sed huic tantum dat potestatem præcipiendi, « et illi imponit obligationem obediendi, in his quæ præceperit « intra latitudinem materiæ talis voti. » Lib. II, cap. XIII, n° 9.

Hæc potestas dominativa superioris in voluntatem, undenam procedit? Non quidem a sola voluntate voventis, nemo quippe potest eo usque semetipsum privare facultate agendi quæ ex se sunt honesta. Nec etiam oritur ex jure quod superior habet regendi inferiorem, in illius et communitatis bonum; sub eo enim respectu æqualia sunt jura superioris, sive votum sit simplex, sive solemne; aliunde eadem potestas, quatenus ordinatur ad bonum regiminis, valeret solummodo in vota quæ obesse possunt communitati seu religioso, non ad omnia indistincte. Remanet ut dicamus efficaciam voti obedientiæ provenire ex positiva Ecclesiæ institutione, quæ approbando institutum religiosum cum votis solemnibus, prohibet modo absoluto et immutabili, secluso casu dispensationis pontificiæ, ne professi vota seu promissiones aliter faciant quam ex superioris arbitrio, et simul irritabilia reddat vota quæ fiunt sine illa dependentia. Hæc quidem vota non sunt irrita; valent utique, sed infirma et irritationi obnoxia.

Si quis objecerit Ecclesiam non posse, juxta communem doctrinam, vota irritare nec consequenter hanc potestatem conferre prælatis religionum, respondet Suarez: « Etiam Pontifex non « potest irritare matrimonium factum, et tamen antecederet « potest conditiones tradere, sine quibus matrimonium sit irri- « tum. Ratio vero est quia difficilius dissolvitur vinculum semel « factum et validum, quam impeditur ne fiat... Modum con-

« trahendi determinare... est actus jurisdictionis et superioris « potestatis, quæ in hoc particulari effectum non est cur Ecclesiæ « denegetur. » (Loc. cit., n° 18.)

444. — IV^o *Utrum solemnitas votorum sit de essentia status religiosi?*

Solemnitas votorum non est de essentia status religiosi. « Hanc « sententiam sequuntur communiter doctores hoc tempore, » ait Suarez, tom. III, lib. II, cap. XIV, n° 4.

Prob. 1^o *Ex natura status religiosi.* Ad statum religiosum duo sufficiunt: media ad acquirendam perfectionem apta, et stabilitas conveniens; atqui hæc duo habentur independenter a solemnitate votorum. Et quidem sunt media quibus remouentur impedimenta perfectionis et ipsa perfectio acquiritur; vota scilicet castitatis, paupertatis, obedientiæ, cum regulis instituti. Majus certe incitamentum ad pietatem præstatur solemnitate votorum, atque efficacius impedimenta remouentur, eo ipso quod plenior abdicationem proprii arbitrii efficiat, sed non pertinet ad substantiam status religiosi; vota enim simplicia habent etiam, licet in gradu paulo inferiori, vim sufficientem avertendi animum a cupiditatibus carnis, a rerum temporalium sollicitudine, et a propriæ voluntatis inordinationibus. *Majus et minus non variant species,* ait Suarez.

Eadem animadvertemus de stabilitate. Major est stabilitas religionum solemnium, quia mutua est obligatio religiosi et religionis, eaque perpetua: dum vovens vitam regularem se in perpetuum tradit religioni, ipsa religio, traditionem acceptando, absolutam vicissim obligationem suscipit illum retinendi, eique necessaria præbendi. Non ita reciproce ad invicem se obligant ordo et religiosus in congregationibus cum votis simplicibus, et est tamen sufficiens stabilitas: ordo siquidem non debet, nec moraliter potest, dimittere professum nisi gravi de causa, cum postulaverit bonum communitatis; et professus tenetur, quantum ex se est, remanere perpetuo in statu quem elegit. Non potest, inquam, se ex hac vitæ conditione subducere,

nec propria sponte recedere : quis autem non fateatur nihil amplius requiri ad quamdam stabilitatem? Alias ne professi quidem vota solemnia essent veri religiosi, ait Schmalzgrueber, cum liberari possint a vinculo professionis, saltem auctoritate S. Pontificis. (DE REGULARIBUS, n° 18.)

Prob. 2° *Constitutionibus SS. Pontificum*, præsertim Gregorii XIII, qui declaraverunt Jesuitas admissos in primum et secundum gradum, nimirum scholasticos et formatos, constitui in statu religioso; « vere religiosos esse et ubique censi et « nominari debere, ac si in professorum numerum adscripti « fuissent. » Const. *Quanto fructuosius*, an. 1585; *Ascendente*, an. 1584.

Prob. 3° *Exemplo primorum ordinum*, qui fuerunt tam in Oriente quam in Occidente fundati. Omnes agnoscunt statum religiosum fuisse in illis ordinibus. Nemo scilicet dubitat quin vere religiosi fuerint filii SS. Pachomii, Hilarionis, Benedicti : dubium tamen est an vota quæ emiserunt haberi debeant pro solemnibus; quinimo graves rationes urgent in contrarium... Concludamus proinde dari posse statum religiosum absque votorum solemnitate.

445. — V° *In quo ordines religiosi distinguantur a Congregationibus sæcularibus?*

Ex dictis sequitur requiri et sufficere ad statum religiosum, ut emittantur tria vota castitatis, paupertatis et obedientiæ; ut hæc vota sint perpetua; demum, ut fiant in congregatione quam ecclesia recepit in institutum religiosum. Si una ex tribus conditionibus desit, si nempe nulla, aut unum vel duo vota solummodo fiant; vel si ad tempus, non in perpetuum, emissa sint, adeo ut vovens pro suo nutu statum aliquando mutare valeat; vel tandem, si congregatio non reponatur ab Ecclesia inter instituta religiosa, non aderit status religiosus proprie dictus, ad sensum canonum, quamvis cæteroquin qui in hac congregatione profitentur, vitam perfectam æmulentur praxi consiliorum evangelicorum. In eo consentiunt omnes canonistæ,

qui exinde distinguunt ordines religiosos proprie dictos, ab institutis quæ non sunt stricto sensu religiosa, quia scilicet deest in illis substantia status religiosi.

His positis, disputatur quid discriminis intersit inter ordines religiosos et congregationes sæculares, rite ab Ecclesia approbatas, quales sunt, v. g. congregationes sacerdotum Missionis et Redemptoristarum.

Plures theologi dixerunt discrimen esse quod professi in ordine religioso, v. g. scholastici societatis Jesu, se Deo actu totaliter tradant et eorum donatio a Deo acceptetur, dum cæterorum vota in promissione consistunt, non in sui traditione. Juxta illos Deus acceptat quidem per seipsum vota et promissa; non acceptat vero donationem, nisi fiat alicui homini per quem acceptari vel repudiari possit, et qui jus acquirat in rem donatam ad utendum illa, et curam illius gerendi¹: porro, inquit, in ordine religioso, est qui vota et traditionem acceptet nomine Ecclesiæ, non in congregatione sæculari. Hæc solutio minime nobis arridet. Nam, si de intentione voventium agitur, manifestum est illos posse in congregatione sæculari, non secus ac in ordine religioso, sua vota æquali affectu emittere, animo se donandi et tradendi Deo in perpetuum. Si vero de acceptance ex parte Dei quæritur, cur Deus non acceptaret donationem sibi certe gratam, quæ fit conformiter ad regulas ab Ecclesia approbatas, et vi cujus superiores Instituti jus habent, non secus ac superiores ordinum religiosorum, re illa utendi, illius curam gerendi, ei præcipiendi juxta finem proprium et regulas ejusdem Instituti?...

Rationem igitur discriminis, non a parte rei, non a natura votorum, non denique a modo acceptance factæ a superiore repetendam putamus, sed a voluntate Ecclesiæ; et quod alias de solemnitate votorum, id etiam de ipsomet statu religioso, qualem illum attendunt leges canonicæ, dicendum

¹ Cf. Suarez, lib. II, cap. IV.

arbitramur. Ecclesia scilicet, a cujus voluntate pendent existentia et conditio Institutorum publicorum quæ in illius sinu formantur pietatis causa, statuit alia fore proprie religiosa, et qua talia submitti legibus et perfrui juribus status religiosi; alia vero sic approbat, ut velit illa accenseri congregationibus sæcularibus, quæ legibus propriis reguntur, et magis subsunt jurisdictioni ordinariæ Episcoporum.

Benedictus XIV non alia ratione, ut nobis videtur, resolvit quæstionem suo tempore agitatam, an congregatio quædam virginum quæ Anglicanæ dicebantur, et cujus regulæ approbatæ fuerant a Clemente XI, esset congregatio vere religiosa. S. Regularium Congregatio decrevit has virgines non esse vere religiosas, et S. Pontifex in constitutione super earundem virginum conservatoriis edita, non aliam rationem affert, nisi quod « ad « essentiam status vere religiosi requiritur, ut religio, seu ordo, « in hujusmodi statu, Apostolicæ Sedis confirmatione stabilia- « tur, » et quod institutum illud non ita fuerat a Sancta Sede approbatum in statu veræ religionis. (Const. *Quamvis justo*, § 13, an. 1749.)

446.—VI^o *Utrum vota religiosorum et monialium e Gallia sint solemnia?*

Quæstio sub duplici respectu solvenda est: 1^o utrum esse possint vota solemnia religiosorum in statu præsentis rerum in Galliis; 2^o utrum sint reapse vota solemnia quorundam ordinum religiosorum in Galliis.

I. In statu præsentis solemnia esse possunt vota quæ regulares e Gallia, sive viri, sive mulieres, emittunt.

Prob. 1^o *Ex praxi Ecclesiæ* a primævis sæculis ad nostram ætatem. Religionibus solemnibus cooptati fuerunt, professione votorum, viri omnis cujuslibet nationis sub ditione principum hæreticorum et paganorum, eadem prorsus ratione ac sub ditione principum catholicorum. Omnes eodem scilicet modo vitam religiosam professi sunt, iisdemque juribus recepti fuere inter membra ordinis, nullo supposito discrimine inter illos,

sive gubernia civilia gentium unde oriundi erant eos habuerint incapaces domini ad normam sacrorum canonum, sive illos haberent capaces, ad instar aliorum civium. Patres Benedictini, Dominicani, Franciscani, Jesuitæ, plurimos sibi sociarunt e regionibus Persarum, Indorum, Sinensium, Tartarorum, aliarumque gentium; per plures computant inter Anglos, Hibernos, incolas statuum Fœderatorum Americæ. At vero, si solemnitas votorum penderet a consensu principum sæcularium, hi omnes falso reputarentur religiosi; certo enim certius est gubernia, sub quorum ditione versantur, nullam habere rationem votorum; eos nimirum a cæteris civibus non discernunt in iis quæ ad capacitatem domini civilis spectant.

Prob. 2^o *Ex necessitate unitatis* in regimine regularium. Rectum regimen regularium exposcit ut ordines qui per orbem suos religiosos mittunt, fidem prædicandi causa, et qui ubique gentium conventus constituunt, id probante, imo suadente Ecclesia, eandem retineant constitutionem: porro, illa regimini unitas non subsistit ex quo votorum solemnitas dependere supponitur a legislatione populorum in quorum regionibus morantur. Ergone familia fratrum Prædicatorum, seu Minorum, componetur simul religiosis vere professis, v. g. Romanis, qui vota solemnia emittent, et Anglis, Gallis, vel Americanis, quorum vota erunt simplicia? Istiusmodi discrimen maximam certe perturbationem induceret in ordinem religiosum, eo magis quod diversa sint jura, et non iisdem muniis idonei sint religiosi, prout sunt professi solemniter, aut vota solum simplicia emiserunt.

Prob. 3^o *Ex declarationibus SS. Congregationum*. Multæ prodierunt declarationes a SS. Congregationibus quæ manifeste indicant eam esse mentem Ecclesiæ Romanæ, ut subsistat votorum solemnitas quidquid statuerit potestas sæcularis. Quædam exempli causa seligamus. Censuit S. Congregatio voti emissa a monialibus Gallis ante rerum Gallicarum perturbationem vim suam servasse non obstante lege civili quæ easdem mo-

niales capaces fore dominii decreverat. — S. Pœnitentiaria respondit declarationes datas pro monialibus quæ vitam religiosam professæ sunt in præsentis statu, et quarum vota pro simplicibus habenda dixit, non extendi ad regulares. — S. Congregatio Regularium concessit abbati Solesmiensi facultatem admittendi ad *solemnem professionem* omnes qui in nova Congregatione Benedictinorum *vota simplicia* prius emisissent. — Eadem Congregatio noluit dispensare religiosum quemdam professum, licet sacris ordinibus minime initiatum, super votis ab illo emissis, « quia firmum stabileque semper fuit Sanctæ Sedis consilium nunquam a *solemni voto* castitatis dispensare, nisi ali-
« quando gravissima omnino urgente ratione quæ publicum
« bonum respiciat. » Hæc Congregatio rescripsit, an. 1838, ad Archiepiscopum administratorem Ecclesiæ Lugdunensis, et iterum mandavit Archiepiscopo ejusdem Ecclesiæ an. 1842, super votis in ordine sancti Joannis de Deo *solemniter emissis*, quorum idem religiosus novis precibus relaxationem implorabat. — Tandem decretum est vota Trappensium quæ in posterum intra fines Galliarum emitterentur tanquam simplicia habenda, *donec Sancta Sedes aliter statuerit* ¹.

II. Soluta quæstione juris, alia est quæstio facti, utrum scilicet vota quæ in Galliis emittuntur, in religione quæ fuit olim approbata cum votis solemnibus, sint vere solemnia. Ratio dubii est quod si ad externas rerum apparentias attendatur, grave discrimen intercedere videatur inter præsentem et præteritum statum religiosorum Galliæ. In præsentis scilicet statu, Regulares ineunt contractus civiles, proprio nomine acquirunt et alienant; domus religiosæ sæpe constituuntur sub forma societatis commercialis juxta regulas codicis. Dicendum est nihilominus hæc non obstare quominus vota sint solemnia.

Jus canonicum solummodo indixit ut regulares non acqui-

¹ Resp. S. Pœnitentiariæ ad Episcopum Cenomanensem, 15 feb. 1841. — Decretum S. Cong. Inquisitionis, 24 martii 1857. — Decretum S. Cong. Regularium, 9 julii 1857.

rant nutu proprio dominium rerum temporalium, nec ullam rem sibi retineant, de illave disponere præsumant; porro, quando juxta præsentem statum rerum, Religiosi ineunt contractus civiles de quibus supra, non agunt nutu proprio, neque in suum proprium commodum, sed cum assensu sui Prælati, in bonum sui ordinis. Sancta Sedes concessit superioribus ordinum, ita postulante ratione temporum, facultates ad id necessarias, ut regulares proprio nomine acceptent bona quæ eis obveniunt ex testamento, seu alio titulo, declarationesque a legibus civilibus præscriptas emittere valeant; item ut bonorum quæ ipsis commissa sunt, usumfructum, et dominium transferre possint, conditione cæteroquin adjecta, ut bona a personis auctoritate superioris deputandis administrantur et redditus conventui cedant. Ergo nihil, ex parte juris, obstat quominus vota in Galliis emissa, sint solemnia, modo servantur regulæ jure communi præscriptæ ad legitimam professionem, et nulla in contrarium data sit declaratio Sanctæ Sedis.

Hinc vota Benedictinorum, fratrum Minorum, Prædicatorum, Jesuitarum, etc... reputantur solemnia. E contra, vota monialium sunt simplicia, quia Sancta Sedes haud semel declaravit se ea non acceptare pro solemnibus. S. Congregatio Regularium rescripsit an. 1855 ad Archiepiscopum Turonensem: « Percunctatus es de votis quæ modo in Galliis a monialibus
« nuncupantur, an solemnia sint, an simplicia. Scias autem
« S. Pœnitentiariam sæpius ea de re sententiam suam aperuisse, et postremum quod edidit decretum hisce verbis
« expressum est: S. Pœnitentiaria denuo perpensis et in examen deductis quæ a dilecto in Christo Vicario generali
« Tolosano proponuntur, præhabitoque super his oraculo
« S. S. D. N. Pii VIII, de ejusdem Sanctitatis mandato, respondet: *Standum esse decisio: hoc est, vota quæ in præ-*
« *senti statu rerum a monialibus in regno Galliarum emittuntur ut simplicia a Sancta Sede æstimari.* Datum Romæ
« die 19 maii 1829. »

III. — Quibus rationibus Sancta Sedes inducta sit ut non admitteret vota solemnia monialium, dubium est. Non dicemus Sacram Congregationem ignoravisse statum rerum; media certe ipsi non defuere accuratiorem, si opus fuerit, notitiam conventuum nostrarum monialium adipiscendi; nec suum decretum edidisset verbis absolutis, quæ omnia vota a monialibus emissa complectuntur, si rationem solummodo habuisset factorum quæ nonnulli Antistites in dubiis propositis enarraverant. Nec etiam motivum declarationis Sanctæ Sedis repetemus ex neglectis regulis jure præfixis ad erectionem conventuum, de quibus in articulo subsequenti. Fatendum quidem multas erectiones seu foundationes conventuum monialium, et etiam aliquorum religiosorum, factas non esse, post instauratum cultum publicum a tempore concordati, juxta canonicas sanctiones: at vero S. Sedes facillime potuisset huic defectui mederi quoad præteritas foundationes ope litterarum sanatoriarum, et prospicere, quoad futuras erectiones conventuum, ut regulæ accuratius ad praxim adducerentur. Probabilius nobis videtur Sanctam Sedem opportunum hactenus non duxisse assentiri solemnitati votorum monialium, ob varias gravesque difficultates quibus hanc conditionem vitæ religiosæ obnoxiam efficiunt in statu præsentium rerum, indissolubilitas vinculi religionis, strictior clausura super qua nullus dispensare valeat nisi S. Pontifex, et legislatio civilis circa honorum proprietatem et dispositiones. Quamvis enim Sancta Sedes valeat consulere, ope Indulorum, conventibus monialium ad removendum utcumque difficultates, negari tamen non potest multa exinde procreari impedimenta ex quibus superiores locales non facile expedirent communitates.

Carentia votorum solemnium non obstat quominus moniales habeant substantiam status religiosi, quod colligitur ex supra dictis. Toleratæ olim dicebantur congregationes mulierum cum votis simplicibus, non approbatæ, ob constitutionem Pii V, de qua supra (nº 436); nunc vero, sublata omni difficultate, approbantur multisque donantur privilegiis.

ARTICULUS III. — DE APPROBATIONE ORDINUM RELIGIOSORUM, AC DE CONSTITUTIONE PROVINCIARUM, CONVENTUUM, ET DOMORUM EORUMDEM ORDINUM.

447. — Iº *Quid jure canonico præscriptum sit de approbatione ordinum regularium?*

I. Concilium Lateranense sub Innocentio III habitum, an. 1215, edixit: « Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat; sed qui cumque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. » Cap. IX, DE RELIGIOSIS DOMIBUS. Nedum hoc decretum obstiterit formationi ordinum, multo plures a tempore concilii Lateranensis prodierunt novæ congregationes quam sæculis præcedentibus; quamobrem anno 1274 concilium Lugdunense legem innovavit: « ... quia non solum impertuna petentium inhiatio religionum postmodum multiplicationem extorsit, verum aliquorum etiam præsumptuosa temeritas diversorum ordinum præsertim Mendicantium, effrenatam quasi multitudinem adinvenit; repetita constitutione districtius inhibentes ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat; cunctas affatim religiones et ordines Mendicantes post concilium (Lateranense) adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus. » Cap. *Religionum*, DE RELIGIOSIS DOMIBUS, in VIº

Ex prolatis decretis duo sequuntur maximi momenti: 1º Approbationem esse omnino necessariam ordinibus religiosis; 2º approbationem Sanctæ Sedi reservari, dempta Episcopis facultate instituendi vel approbandi novas religiones.

Ea est necessitas approbationis ut, si deficiat, non sit ordo re-